

paralyfi ab humoribus tenuioribus
ferosis concitata, qui magis resolu-
biles, quam pituitosi ac mucilagi-
nosi.

Quamvis nullis hæcenus usus
sint unguentis, idque studio ac datâ
operâ, cum æger sit promptus ad
observanda præcepta medica, diebus
canicularibus ad finem decurrenti-
bus, æstuque remittente, regiâ viâ
incedere, atque decoctum ligni san-
cti cum sarfa paril. administrare con-
stitueram, ideoque ab unguentis ab-
stinui, ne pori seu meatus nervorum
oblitii & pinguedine oppleti, impe-
dimento existant, quo minus post
materia morbifica, nervorum sub-
stantiæ inhærescens, per haustus su-
doriferos, elici queat. Sarfam paril.
adjunxi cum sit tenuium partium,
quò crassiorem materiam nervoso
generi impactam eò magis pollet
resolvere.

Post octiduum ab haustu istius
decocti, tum haud foret inconve-
niens, finito sudore unguento ex an-
sere rosto, quo principium spinæ

dorsi cum brachio affecto illinen-
dum: nam pedem absque horum
adminiculo suum facturum officium,
judico.

Siquidem malum hæc quantum-
vis accommodatis remediis non ce-
deret, admodum foret consultum,
si æger adventante vere in Thermas
Pipernias ablegaretur. Antè paucos
annos quidam Italus in lectulo de-
cumbens per bajulos ex Italiâ eò de-
latus, per plures annos sideratus, in-
tra 14. dies balneando tantum pro-
fecit, ut non modo sua munia tite
obire potuerit, sed & Equo vectus
domum salvus ac incolumis re-
dierit. Thermæ ferinæ æquè cele-
bres.

Hæc mihi obvenere, quæ in gra-
tiam ægri, meam efflagitantis censu-
ram, Medicis Augustanis communi-
candam (sua cognatorum ibi dimo-
rantium) literis consignarem. Fa-
xint superi, ut salutaria contingant,
& ad optatum sanitatis portum per-
ducant.

CONSULTAT. V.

*De casu Pleurítico & asthmatico admodum Reverendi &
Nobiliss. Dn. Henrici de Welden / Canonici Au-
gustani & Elvvacensis.*



Um T. N. aliquandiu di-
versis gravioribus sympto-
matis obnoxia, sed jam be-
nedictione & Gratia divi-

nâ aspirante, ab iis levata, optatam
recuperavit valetudinem, & à me
petierit, ut illa literis comprehensa
communicarem, quo si Ingolsta-
dium

dium redeundum ad studia continuanda, ea ostenderet Cl. Dn. D. Menzelio, Medico illic suo ordinario, ad dispiciendum, quibus morbis sit subjecta, & si in posterum ægrotare contigerit, exin ansa captanda, ad meliorem cognitionem & felicioram curationem, paracæquum, præstare obsequium.

Et si T. N. Natura ac complexio sit melancholica, prout ex colore faciei livido ac fulco, corde pavido & vitâ solitaria arguendum, non minus tamen symptomata illa, quibus hætenus fuit molestata, suam originem traxerunt ab humoribus phlegmaticis, seu pituitosis, idque ex accidenti, non læsâ facultate ex defectu caloris probam concoctionem procurare nequeuntis, sed ob gravissimos errores, in cibo & potu commissos. Siquidem illud Galeni effatû in T. N. verum deprehendi, quod in genere de Naturis melancholicis literis tradidit, quod sint edaces, ob Epatis (addo & Lienis) & venarum meseraicarum calidiorum constitutionem, exin cum hæ sint voraces, succum ex chylo in ventriculo elaboratum, citius æquo alliciunt, subinde os stomachi admodum sensile, ob sextum nervorum par ei à cerebro implantatum, lancinantes ac vellicantes, famem animale concitant, & ad cibum capessendum irritant. Cum T. N. Natura ita comparata, ut valde famelica & omnis

generis cibaria, citra ullum delectum, in sat justâ copiâ assumere solita, exin haud mirandum, quod successu temporis, sensim ac pederentim, ex indigestione ventriculi, à copiâ assumptorum gravati, collectæ & indies magis coacervatæ cruditates ac superfluitates phlegmaticæ, à quibus cuncta illa symptomata pullularunt. Est enim cruditas seminarium omnium morborum. Exin contigit, ut T. N. annuo abhinc spatium, quandam angustiam pectoris ac difficilem respirationem, præsertim si loca altiora scandenda, senserit, & cum de illo gravamine, cuidam Medico quæstus, is autem malum illud susque deque habuit ac neglexit, nulla remedia præscripsit, & nihil aliud quam esse destillationes, respondit, & ita T. N. tum erat præstidiis Medicis destituta. Cum ante tres menses, sitos Dñ. Parentes visitasset, & dyspnæa quotidie auctior reddita, ut ægrè respiraret, insuper etiam ventriculus intumesceret cum dolore, operæ precium habitum, rem non ulterius procrastinare, sed mea requisita præsentia, ut accommodata Pharmaca ordinarem, quorum medio ab illâ molestia liberari queat. Cum Laphemium venissem, ex *utrovis* deprehendi, T. N. quoddam gravamen percipere, circa mediam pectoris regionem, respirationem esse admodum difficilem, indubium, quin iste affectus à nullâ aliâ

Hh 2

causa

causâ proficiscatur, quam à crassis viscidis phlegmaticis humoribus, in pectore hospitantibus, imprimis circa asperam arteriam hærentibus, & liberam aëris attractionem, impediuntibus. Cum igitur Pulmo & aspera arteria mucilaginosâ materiâ obliterata, anhelitus non potest habere liberum introitum & exitum expeditum, nisi istud obstaculum dimovendum, impenderet suffocationis discrimen. Huic malo occurrendo, seopus meus eo directus, ut illa materia crassa ac viscosa absterfa ad expectorationem promovenda, præviâ tamen universali totius corporis à superfluis humoribus, depuratione, nec spes concepta fefellit. Etenim cum T. N. usa diversis expectorantibus facultatem absterforiam habentibus, præ cæteris celebrata aqua pectoralis, quæ ob tenuitatem penetrans, singularem vim exeruit, dum pituitosi illi humores absterfi magnâ copiâ per tussim rejecti, istâ remorâ dimotâ, post octiduum, dyspnæa recessit, locum liberæ respirationi relinquens, & tum T. N. à gravissimo & sat chronico affectu, immunis evasit.

Cum T. N. iudicata in salvo, & in portu constituta 14. dierum intervallo post, cum intenso frigore hyemali, Equo vecta, inopinato ex repentino humorum affluxu, in latere sinistro circa mediam regionem sub costis emerfit ingens dolor puncto-

rius cum febre continuâ, tussi & difficili respiratione, cum vocatus apulissim, ex symptomatis illis velut signis pathognomonicis, cognovi affectum pleuriticum, cum eâ nocte cum tussi excreta materia purulenta & cruenta, admodum salta & fervida, adeo, ut si per tussim procedens rejicienda T. N. dixerit, supra modum esse fatidam, saltam, acrem, & quasi igneam, ut sæpius in metu, ne fauces exederet. Materia illa suo fæore non tantum ipsi Dn. ægro in excernendo erat molesta, sed & mephitim spirando astantibus infesta, ut si stimulans per tussim expectoranda, putidus vapor per aliquot passuum distantiam, odoratu perceptus, quasi intereanca omnia putredine occupata. Exin conjectura, pleuritidem illam in abscessum malignum versam, concitatum à materiâ sanguineo phlegmaticâ, cum bile mixtâ, sed corruptâ ac putridâ. Ad malum illud periculosum & multorum opinione funestum avertendum, varia præscripta remedia, ad dolorem mitigandum & punctiones sub costis præter unguentum pectorale, Emplastrum anodynum imprimis fuit celebratum.

Quoad interna medicamenta ad dolorem & punctiones placandas exhib. ol. amygd. dulc. rec. cum jusco Gall. cum magno levamine.

Cum materia purulenta excreta salta & fervida, indubium argumen-

rum ulceris putridi, maligni & corrodentis, non feriandum, sed omnis labor eò dirigendus, quo impura & maligna illa materia absterfa, ad expectorationem promovenda, & simul per contemperantia illius acrimonia demulcenda, cum in finem ordinatum decoctum pectorale abstergens & alterans pro potu quotidiano usurpandum, interdum in illius decocti vitro cochl. i. syr. viol. f. contemperatum. At prerogativam habere visa aq. pectoralis, eam T.N. dignata est encomio singulari, & sic astite & aspirante gratia ac benedictione divina, Natura cooperatrice, & manu Medicæ adjutrice, quasi ex faucibus mortis revocata, cum ferè omnes visitantes, de recuperandâ valetudine, desperarint. Et sanè animus etiam meus, non raro de salute, erat in suspensio, anxius & sollicitus, ne materia illa salsa, acris & fervida, in transitu læderet ac exulceraret Pulmones, & ita ex charybdy, in scyllam incideremus, dum pleuriticum succederet Phtisis. Sed Deo Opt. Max. sit laus in ævum, qui malum illud avertit & plantanti Paulo, & riganti Apollini, suum dedit incrementum.

Ut autem T. N. in posterum, à consimilibus symptomatis præservari queat, plus momenti consistit, in observandâ accommodatâ diætâ, quam variâ medicamentorum farragine, proin T. N. in cibo ac potu,

sequentem modum observare debet, eò magis respiciendo, ut minus exorbitet in quali, quam in quanto, hoc est, cum T. N. obtigerit stomachus famelicus, minus noxium, appetitui satisfacere, plura cibaria assumendo, modo sunt laudabilis qualitatis, & ita comparata, ut facilis concoctionis, & boni succi.

T. N. inprimis eò erit intenta, quò ad manum Vinum Neccaricum non adulterinum, in quo cardo sanitatis hæret, & ad præcautionem ab imminentibus morbis, plurimum conferet, cum ex in bona in ventriculo concoctio promovenda, cui post in Epate laudabilior succedat sanguificatio.

Quoad cibos, facilis concoctionis & laudabilem sanguinem generantes, sunt ex genere carnoso, caro bubula junior, vitulina, hædina, agnina, pulli Gallinacei, capones. Ex ordine volatilium, perdicis, atragenis & aves nemorosa.

Cum sæpius jejunia & abstinentia à carnibus incidant, ex piscium sorte, esset concessus usus Lucii junioris, ascia, trutæ, salmones, funduli. Juscula ex carne bubulâ, gallin, & capon. ova liquida, panatella.

E contrario devitanda cibaria prævi & crassi succi & difficilis digestionis, ut caro vaccina, porcina, salita & fumo indurata, anseres, anates, rapæ, brassica, lacticia, caseus & cruda obsonia. In quanto id observandum,

Hæ 3

dum,

dum, ne in uno convivio plura & varia cibaria ingerantur, ex inæqualis concoctio emergit & cruditates resultant, variorum morborum effectrices. Cum T. N. adstrictioris alvi, ad eam referendam, familiaris sit usus pil. Angel. vel alo. Ros. Aquap. ante cœnam 7. vel 9. cum vino.

T. N. ne sit ocio dedita, quin moderatum exercitium probandum, cum exin calor naturalis suscitatus,

vegetiore vadat, felicior concoctio & superfluitatum excretio cōtingat, Quoad animi pathemata, lætitiæ litandum, tristitia & nimia curæ relegandæ.

Si T. N. ea, quæ in ista meâ instructione consignata ac comprehensa, observare constituerit, indubium, quin optatâ gaudere ac frui valetudine in complures annos licitum. Faxit Deus O. M. ut omnia salutaria contingant.

CONSULTAT. VI.

*De Arthritide vaga mirabili, Dysenteriam subsequente,
ad Cl. & Excell. Dn. D. Horstium, Collegam olim
honorandum,*

S. P.



Um ita pridem, Clar. & Excellentiss. Vir, fautor & collega plurimum colende, tibi gratum fore retuleris, si affectum N. N. cum symptomatis concomitantibus, literis consignatum, communicarem, cum casus perquam rarus & speculatione haud indignus, quamvis ipsemet ab exordio morbi, curæ mecum adhibitus, & spectator & consultor, ut tibi, ceu viro erudito, haud grave, eum delineare, & causas rimari: & ne ligna in Sylvam. At cum mea manu, stylo & calamo illum adumbrare placuerit, id laboris effragitanti detrectare, in decorum

æstimandum, eò magis, dum animum meum, ad istam provinciam suscipiendam, sat benevolam, coram ostendi: proin, ut fidem exolvam, & præstem pollicita, casum illum libero ingenio adornatum, & rationibus potius, quam auctoritatibus suffultum, tibi perlustrandum transmitto, & æquum arbitrum constituo. Si ea ad tuum gustum, prout in votis, me cum *obvix* haud pœniteret insumptæ operæ: sin minus, non culpanda voluntas, (indubia affulget spes) & ad gratificandum animi promptitudo.

Vir doctus & honestus N. N. a. n. ã. excedens 30. corporis habitu sat car-

nosq